



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris  
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,  
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,  
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,  
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &  
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:  
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia  
illustrata: facundissimis ...

Continens Doctissimas Svper Varios Veteris Testamenti Libros  
Quæstiones, Et Commentaria In Psalmos Davidis - Vna Cvm Vocabvlorvm  
Psalterii Expositione: De Templo Salomonis, Et Sex Dierum Creatione:  
Commentarivm Item In Boethii Librvm De Sanctissima Trinitate, Aliosqve  
Piissimos Tractatvs De ...

**Beda <Heiliger>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

Quæstiones super librum Iudicum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72069)

VENERABILIS BEDÆ  
PRESBYTERI, QVÆSTIONVM  
SUPER LIBRUM JUDICUM,  
ex dictis Patrum, Dialogus.

CAPUT I.

De seruitute populi, & liberatione.



ISTORIA Judicium non parva mysteriorum indicat sacramenta. Primum, quod post Josue succedunt Judices: sicut & post Christum successerunt Apostoli, & Ecclesiarum rectores, ad gubernandos & regendos fideles, quos ipse ad spem æternæ reprobationis perducit. Per omnia autem in hoc volumine delicta Judaici populi, & seruitutis, clamor quoque eorum & miserationes Dei scribuntur. Nam multis annis pro suis offensis multorum regum servi erant. & iterum conversi liberati sunt. Sed quid est quod sepe peccantes in manu hostili traduntur, nisi quod nostra peccata quando delinquimus, vires hostibus præbent? & quando nos facinus malum in conspectu Domini, tunc confortantur adversarii nostri: id est, demones spiritualium nequitiarum virtutes: sed iterum, quando convertimur, suscitatur Dominus salvatores, & iudices: hoc est, principes & doctores, quos ad subsidium Deus mittit eorum, qui ad se toto corde clamaverint. sicut misit Othoniel, qui expugnavit Cusan Repsathaim regem Mesopotamiae: sicut misit Aoth, qui occidit Eglon regem Moab: sicut misit Jahel & Debbo-ram, quæ interfecerunt Sisaram. Quamvis historia pro suis mysteriis breviter memoranda est.

CAPUT II.

De Debbara & Iahel.

DEBBORA Prophetes, uxor Lapidoth iudicabat populum in illo tempore, & sedebat sub palma inter Rama & Bethel, in monte Ephraim, ascendebatque ad eam filii Israel in omni iudicio. Debbara quæ interpretatur apis, sine loquela, in prophetia forma accipienda est, de qua dicitur: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Consideremus tibi locus prophetiæ describitur, sub palma, inquit. Sub palma sedem habet prophetia, quia quos suis institutionibus erudit, ad palmam supernæ vocationis adducit. Inter medium autem Rama & inter medium Bethel sedere dicitur prophetia. Rama interpretatur excelsum, Bethel domus Dei: utique quia non intra domum Dei positos, non quæ in terra sunt querere docet, sed quæ in caelis sunt. hæc misit & vos ait ad se Barach. Barach interpretatur coruscatio, Coruscatio est, quæ habet quidem lucem, sed non permanentem. Ad modicum enim temporis resplendet & desinit. Hic ergo Barach formam gerit prioris populi, qui primo omnium per prophetiam vocatus & invitatus ad audienda eloquia Dei, resistit quidem in legis splendore, & brevi tempore coruscavit, sed non diu permanit. Cum ergo dixisset Debbara ad Barach, id est, prophetia ad priorum populum, Tibi precepit Dominus Deus Israel, & tu ascende in montem Thabor, & accipe decem milia virorum: respondit Barach ex persona prioris populi ad prophetiam, Non ascendam, nisi & tu ascenderis mecum. Dixit ad eum Debbara: Ibo tecum, sed non erit primatus tuus in via qua intradis: sed in manu mulieris trahetur Sisara. Et videtur ostendere, quia non est apud illum populum primatus, nec permanet apud eum victoria palmas sed apud Iahel mulierem id est, Ecclesiam. Nam Jahel ista alienigena, in cuius manu victoria est facta, figuram tenet Ecclesiæ ex gentibus congregata. Jahel enim interpretatur a censis: quia per Ecclesiam ascenditur ad coelum. Ista pallo Sisaram hostem interfecit, id est, signi crucis acumine & virtute diabolum interemit: quod Barach, id est, prior populus per legis præcepta facere non potuit. Sola enim ista

per lignum, in quo spiritualibus sacramentis credentium salus est fidei hostem affigit: quem deinde mortuum pellibus obregit, id est, inclusum in carnalium cordibus derelinquit. Non enim latent mortifera ipsius nisi in corruptibilitate vitæ viventibus, & peccata mortalia perpetrantibus: qui dum pravè viventes se regantur à corpore Christi, efficiuntur membra diaboli.

CAPUT III.

De oraculo angeli ad Gedeon.

TRADITUR deinde populus Israel in manu Madian, pro cuius liberatione loquitur Angelus Domini ad Gedeon. Cujus gesta quid significant mysticè, demonstrandum est. Gedeon namque cum arbore quercu tritici messim virga caderet, & à paleis frumenta excenteret, Angelum vidit, & accepit ab eo oraculum, ut à potestate hostium populum Domini in libertatem reduceret. Iste Gedeon nimirum figuram præstabat Christi, qui sub umbra sacræ crucis prædestinato incarnationis futuræ mysterio constitutus, rectitudine iudicii quasi per virgam electionem sanctorum à vitiorum paleis sequestrabat. Hic ergo Gedeon cum audisset ab Angelo, quod deficiens virgula populi in uno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret: proximus hœdum coxit, cuius carnes secundum præceptum Angeli simul cum azyma super petram posuit, & jus carum de super sudit. Quæ dum Angelus virgæ acuminem contigit, statim de petra ignis erupit: atque ita sacrificiū Deo quod offerebatur, assumptum est. Quo iudicio declaratum videtur, quod petra illa typum habuerit corporis Christi, Paulo attestante: *Petra autem erat Christus.* Jam tunc igitur in ministerio declaratum est, quia Dominus Jesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret. Nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates purgaret animorum. Caro autem hœdi ad culpam facti referitur, jus ad illecebras cupiditatum: sicut scriptum est, *Quia concupivit populus cupiditatem pessimam: & dixerunt, Quis nos citabit carne?* Quod igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exivit: ostendit, quod caro Domini spiritu repleta divino, peccata omnia humana conditionis exurit. Unde & Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram.* Adverit igitur vir doctus & præfagus futurorum superna mysteria, & ideo secundum oracula occidit vitulum, à patre suo idolis deputatum: & ipse septennem alium vitulum immolavit Deo. Quod factum manifestissime revelavit, post adventum Domini omnia gentilitatis abolenda sacrificia, solumque sacrificium Deo dominicæ passionis pro redemptione nostra, religiose à populis deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Christi, in quo se priorum spirituum plenitudo virtutum, sicut dixit Elaias, imbutabat.

CAPUT IV.

De mysterio vellere & area.

PARVITUR ergo mysterium victoria Gedeon: & tamen licet fortis & fidus, plenior adhuc de Domino futuræ victoria documenta quærebatur, ut una nocte lana vellus in area poneret, & esset super illud tantummodo ros, & super omnem terram: & rursus similiter poneret vellus, & super totam terram ros plueret, & siccitas esset in vellere. Quærit fortasse aliquis, utrum quasi incredulus esse videatur, qui frequentibus jam fuerat iudiciis informatus? Absit. Non enim ille ambiguus erat: sed nimirum futura mysteria prævidebat: quæ etiam providus diligentissime explorabat, ut amplius crederet mysterium, dum intellexisset oraculum. Quod ergo vellus complutum, & area sicca, & postea compluta area sicco vellere, nisi quod primo una gens Hebræorum, habens gratia mysteriū, totus orbis hoc habet, illa vacua est? Area enim illa, totum orbem terrarum significabat. Denique quando totus orbis infructuoso cultu gentilis superstitionis arebat, tunc erat

ros ille

ros ille caelestis visitationis in vellere : postea vero quoniam oves quae perierant domus Israel, quae sub figura velletis demonstrabantur, fontem aquae vivae negaverunt: ros fidei exsruit in pectoribus Judaeorum, gratiamque suam imber ille divinus in corda gentium derivavit. Inde est, quod nunc fidei rore totus orbis humescit, Judaei vero prophetis & omnibus charitativis carent. Nec mirum si perfidia subeunt siccitate, quos Dominus Prophetis imbris ubertate privavit dicens: *Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem.* Idcirco autem illam gentem vellere nomine significavit, vel quia in obaudit eandem pluviam detinebat, quam volebat sibi proposito praedicari: id est, in circumcisus gentibus revelari.

## CAPUT V.

De praelio cum trecentis.

Post hanc diligentissimam mysterij explanationem, cum iam contra Madianitas Gedeon dimittere contenderet, & exercitus multitudinem ad bella produceret, divina illi admonitione preceptum est, ut ad fluvium veniens, omnes quos flexis genibus aquas haurire conspiceret, à bellorum conflictu removeret: atque est, ut trecenti viri tantummodo qui stantes manibus aquas haurerent, remanerent. Cum his Gedeon ad praelium pergit, eosque non armis, sed tubis, lampadibus, & lagenis armavit. Nam sicut illic scriptum est, *accensus lampades miserunt inter lagenas, & tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tenuerunt: & tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tenuerunt: & ad hostes suos cominus venientes, cecinerunt tubis, confregerunt lagenas, lampades apparuerunt: & hinc tubarum sonitu, illic lampadam coruscatione territi hostes in fugam conversi sunt.* Quid hoc est, quod tale bellum per Prophetam ad medium deducitur? An indicare nobis Propheta studuit, quod adventum Redemptoris nostri contra diabolum, illa sub Gedeon duce pugnae victoria designavit? Talia enim nimirum acta sunt, quae quanto magis usum pugnandi transeunt, tanto amplius à prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim unquam cum lagenis & lampadibus ad praelium venit? Quis contra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis haec profecto fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ista attestante didicimus, ne parva haec quae acta sunt, perpendamus. Gedeon itaque ad praelium veniens, Redemptoris nostri signat adventum: de quo scriptum est, *Tollite portas principes vestras, & elevaminis portas aeternales, & introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis & potens, Dominus potens in praelio.* Hunc Redemptorem nostrum non solum opere, sed etiam nomine prophetauit: Gedeon namque interpretatur circumiens in utero. Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia circumplectitur, & tamen per dispensationis gratiam inter uterum virginis venit. Quid est ergo circumiens in utero, nisi quia omnipotens Deus Christus inter uterum vivit per infirmitatis substantiam, & extra mundum per majestatis potentiam? Madian vero interpretatur de judicio. Non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit: & idcirco de judicio vocatur, quia alieni à gratia. Ut enim hostes ejus repellendi essent destruendique, Redemptoris iusta damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt: contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad praelium. Soler in tricenario numero, plenitudo perfectionis intelligi. Quod ergo per indictum tricenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio trinitatis? Cum his quippe Dominus noster adversarios fidei destruit, cum his ad praedicationis bellum descendit: qui possunt divina cognoscere, qui sciunt de Trinitate, quae Deus est, perfecte sentire. Notandum verò est, quia iste trecentorum numerus in tau litera continetur, quae crucis speciem tenet; cui si super transversam lineam, id quod in cruce eminet, adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in tau litera continetur, & per tau literam sicut diximus, species crucis ostenditur; non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus, illi designati sunt, quibus dictum est: *si quis vult post me venire,*

*abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Qui sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acius sese edomant, & erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Unde per Ezechielem Prophetam dicitur: *Signa tau super fronte virorum gementium, & dolentium.* Vel certe in his trecentis, qui in tau litera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium crucis ligno superetur. *Ducti itaque sunt ad fluvium, ut aquas biberent: quique flexis genibus haurerent, à bellica interdictione remoti sunt.* aquis namque doctrina sapientiae designatur. Stantis autem genu, recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genu flexisse perhibentur, & à bellorum certamine prohibiti recesserunt, hi sunt, qui doctrinam cum rectis operibus non hauriunt. Qui verò doctrinam fluenta ita hauriunt, ut nequaquam in pravis operibus carnaliter inestantur, hi Christo duce contra fidei hostes ad praelium pergunt. *Vadunt ergo cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis:* atque iste, ut diximus, fuit ordo praeliandi. *Cecinerunt tubis, intra lagenas autem sunt missae lampades:* contra ad id lagenis lampades ostense sunt, quare coruscante luce hostes territi in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis clamor praedicationum, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe secum dux ad praedicationis praelium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad praelium martyres nostri, sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis, dum praedicant: confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis opponunt: resplenderunt lampadibus, dum post solutionem corporis miraculis coruscaverunt. Moxque hostes in fugam versi sunt: quia dum martyrum corpora miraculis coruscant, conspicuntur, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, ut lagenae frangerentur. Lagenae fractae sunt, ut lampades apparerent: apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur: i.e. praedica-verunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur. Corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent: coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent. Et notandum, quod steterunt hostes ante lagenas, fugerunt ante lampades; quia nimirum persecutores sanctae fidei, praedicatoribus adhuc in corpore positus resisterunt. Post solutionem vero corporum, apparentibus miraculis in fugam versi sunt: quia pavore territi, à persecutione fidelium cellaverunt. Intuendum est etiam id quod illic scriptum est: quia in dextera tubas, Lagenas autem in sinistra tenuerunt. Pro dextera enim habere dicimus, quicquid pro magno pensamus: pro sinistra verò, quicquid pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est, quod in dextera tubas, & in sinistra lagenas tenuerunt, quia Christi martyres pro magno habeant praedicationis gratiam, corporum verò utilitatem pro minimo. Quisquis enim corporis utilitatem plus facit quam gratiam praedicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet. Si enim priori loco gratia, praedicationis accenditur, & posteriori utilitas corporis, certum est, quia dextera tuba, & sinistra lagenae tenentur.

## CAPUT VI.

De Abimelech.

Moritur Gedeon, & relinquit septuaginta filios: & unum nomine Abimelech, natum ex concubina: qui conduxit sibi viros vagos, & abierunt post illum: & intravit in domum patris sui, & occidit fratres suos septuaginta viros super lapidem unum: & remansit Ionatham junior, quoniam ab conjugis erat. Hoc factum si nihil propheticum indicaret, quid opus erat ut magnopere scriberetur: utrum Gedeon septuaginta filios, & multas uxores habuisset, sed & concubinam, de qua unum, & malum filium suscepisset. Et quod cum turpe factum sit, tunc etiam turpius esset, si haec posteris ad exemplum in divinis scripta viderentur: nisi magna alicujus rei imaginem earum gesta per typos & figuras ostenderent. Gedeon igitur, ut superius dictum est, typum Domini praetendebat. Plurimae uxores ejus, multae sunt nationes, quae

per

per fidem Christo adhererunt. Septuaginta filii ejus, septuaginta linguæ sunt in hoc mundo diffusa, in quibus per fidem filios sibi generaturus erat. Concubinam in hoc loco Synagogam vocat, quæ in novissimis temporibus Antichristo creditura est: de qua Joannes in Apocalypsi ait: *Qui dicunt se Iudeos esse & non sunt, sed sunt Synagoga satana.* De qua ultimis temporibus nequissimus filius, id est Antichristus est generandus. Et inique filius ancillæ, id est Synagoga illius peccatricis: quia qui peccatum, inquit, facit, servus est: eccati. hic inquam congregatis sibi impiis, sicut Abimelech fecit, regnum improbe usurpabit. Interfectisque nobilibus filiis, id est, his qui ex diversis nationibus & linguis in Christum credentes, à Deo sunt generati, induturus est persecutionem, ut penè omnes sanctos interficiat. *Sed super septuaginta, inquit, sicut junior filius, ex nobili matrimonio, qui se abscondit hic. hic ascendit in verticem montis Garizim, & exclamavit voce magna ad populum Sichimorum, componens eis parabolam.* hic ergo junior filius, qui fugit ad gladium inimici evaderet, figura est residui populi Israel, prædicante Helia extremis temporibus credituri, & Antichristi gladium evasuri. *Ascendit, inquit, iste in verticem montis Garizim.* Sed cur montem ascendit? Quia nec prophetare, nec persecutionem Antichristi quisquam evadere potest, nisi prius in montem benedictionis, id est in sublimitatem fidei ac virtutum ascenderit: hic est enim mons Garizim, qui à Moyse in benedictione deputatur. *Itaque cum ascendisset, elevata voce clamavit & dixit: Audite me viri Sichimorum ligna, ut ungerent super se Regem, dixeruntque olive: Impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum amittere pinguedinem meam quæ dicitur ut ungetur & homines, & venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos accipe regnum. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructibus suis, ut inter cetera ligna commovear? Locuta sunt quoque ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum deserere vinum meum, quod lassificat Deum & homines, & inter cetera ligna commoveri? Cum ergo repudiata suis ligna sylvæ ab oliva, & ficu, & vite, venerunt ad ramnum, ut eum sibi facerent regem. Sed prius videamus cur oliva, ficus & vitis super ligna regnare noluerunt. Ligna quippe sylvæ, homines esse vanos & vagos æterno incendio præparatos. His ergo merito noluit nec oliva, nec ficus regnare, nec vitis: quia minime merebantur. Oliva enim gratiam Spiritus sancti, & unctionem pacis significat: ficus autem sacra legis imaginem habet, sicut in Evangelio scriptum est: *Quidam paterfamilias in vinea sua plantavit ficum, Quis paterfamilias nisi Deus, qui familie suæ, id est omnium credentium pater est? Plantavit ergo vineam, id est, populum: quia vineam ex Ægypto transtulit. In hac vinea plantavit ficum: hoc est, in populo suo posuit legem. Quæ lex primitivum populum, sicut ficus grossos, aridos & inutiles deiecit in terram, & postea alios fructus generavit: id est, populum Christianorum, quem ad debitam Evangelicæ disciplinæ maturitatem, & suavissimam pinguedinem Christi, cum gloria & honore perduxit. *Sed vitis, inquit, noluit regnare in eis.* Vitem autem Salvatoris nostri typum habere manifestum est: sicut in Evangelio ait: *Ego sum vitis vera. Igitur quia jam in reprobum sensum, sicut Apollolus dixit: futurus est populus ille, qui Antichristo est serviturus, quem ligna sylvæ appellat: & necesse est, ut credat mendacio, id est, Antichristo, quia veritati Christo noluit credere: ideo & à regno vitis, id est, Christi, & ab oliva, id est, Spiritus sancti gratia: & ficu, id est, divinæ legis dulcedine reprobatus venit ad ramnum. Ramnus enim genus rubi est, quam vulgo senticem urtinam appellant, asperum nimis & spinosum: per quod merito typus Antichristi significatur, qui omni asperitate & effertate humanum genus est vastaturus. *Sed exier, inquit, ignis de ramno, id est, iniquitas de Antichristo: & omnes qui in eo confidunt, cum ipso pariter devorabit.****

## CAPUT VII.

De Iephthe &amp; filia ejus.

**A** Diecerunt deinde filii Israel de servire Baalim, & diis alienis, tradunturque in manus filiorum Ammon: tunc Iephthe Galaadites fugiens à facie fratrum suorum, constituit in principem ob pugnam filiorum Ammon: qui rediens post triumphum immolavit filiam quæ sibi post victoriam prima occurrebat. Sic enim votum spondere ar, ut quicquid sibi revertenti occurreret, Domino immolaret. Quis ergo in Iephthe prænucciabatur, nisi Dominus Jesus Christus Salvator noster? Qui faciem fratrum suorum, id est, Judæorum fugiens, in gentibus principatum accepit: quia omnia humane salutis sacramenta quæ juravit, explevit: & quasi filiam, ita carnem propriam pro salute Israelis Domino obtulit. Jurasse enim patrem, ac vovisse unigenitum legitimus, Palmista dicente: *Sicut juravit Domino, votum vobis Deo Jacob: scilicet ut juramentum religionis in carnis suæ, assione pro salute generis humani expletet.* Hæc secundum testamentorum historiam, ita per Christum acta videtur pro religione, quam juraverat esse complendam. Post mortem Iephthe traditur in manus Allophilorum, nasciturque Samson, qui liberet Israel.

## CAPUT VIII.

De Samson, &amp; actibus ejus.

**S**amson autem quondam Domini Nazareus, habet quidem typum Christi. Primum quod ab Angelo natus ejus annunciat, deinceps quoniam Nazareus dicitur, & ipse liberavit Israel de hostibus. Postremò quòd templum illorum subvertit, & perierunt multa millia hominum, qui illum illuserant. Nativitas istius Samson, quæ per Angelum nunciatur, similitudinem habet primum prophetarum, qui nativitate Domini secundum carnem annunciarunt: deinceps etiam Angeli, qui ad Mariam loquuntur, dicens: *Maria invenisti gratiam ante conspectum Domini, & acceptis in utero, & paries filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel. Hic enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Samson autem interpretatur sol. Sed quia & Redemptor noster sol appellatur, audi ipsum Dominum Jesum per Prophetam eo nomine vocitari: *Orietur vobis sol justitie, & sanitas in pennis ejus.* Verè enim hic sol justitie est, qui omnium credentium mentes celestis munimine clarificat: hic verè Nazareus est, & sanctus Dei, cujus in similitudinem ille Nazareus est nuncupatus. Ille ergo cum tenderet ad mysterium nuptiarum, leonugiens occurrit ei. Sed quis primum erat in Samson obvium leonem necans, cum petendæ uxoris causa ad alienigenas tenderet, nisi Christus, qui Ecclesiam vocaturus ex gentibus, vincens diabolum dicit: *Gaudete, quia ego vici mundum?* Quid sibi vult, ex ore ejusdem leonis occisi sapor mellis extractus, nisi quia ut conspicimus leges ipsas terreni regni, quæ adversus Christum fremuerunt, nunc jam perempta feritate dulcedini Evangelicæ prædicandæ etiam munimina præbent? Item quid in semetipso expressit, quod paucos quidem dum viveret interemit, destructo autem templo hostes multos cum moretur occidit? Quia nimirum Dñs ab elatione infidelitatis paucos cum viveret, plures verò cum templi sui corporis solveretur extinxit: atque elatos ex gentibus, quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit. Jà reliqua ejus, quod ei mulier stibbola caput raserit, & Allophilis illudendum tradiderit: quod captivatus, quod cæcatus, quod ad molam deputatus est in his non Christus, sed illi figurantur qui solo tantummodo in Ecclesia Christi nomine gloriantur, & malis actibus jugiter implicantur. Vir enim sensus rationalis intelligitur, caro autè quasi in typo mulieris accipitur. Si enim mulieri, id est, carni nostræ blandiènte libidine, vel reliquis malis operibus cõsenserimus, gratiam spiritus, quæ Nazareus crime significatur, nudati expellamur atque decipimur. Ita enim superbis & peccatoribus violata Christi gratia, sicut Samson incisa coma diabolus

illudit.

illudit. Sed quid est, quod Samson ille ab Allophilis captus, postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est? Quia nimirum maligni spiritus postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foris hominem in circuitu laborum mittunt. Quod si aliquando idem homo agendo poenitentiam redeat, illi velut coma reducitur: id est, gratia reslorescente, reparatur ad salutem. Deinde cupiditatis ac luxuriæ subversis columnis victores hostes dejicit, & reparato certamine in finem tortissimè de dæmonibus triumphabit.

*Explanationis in librum Iudicum, finis.*

VENERABILIS BEDÆ  
PRESBYTERI, QUÆSTIONVM  
SUPER LIBRUM RUTH, EX  
dictis Patrum, Dialogus.

**V**IDEAMUS nunc de Ruth; habet enim ista typum Ecclesiæ. Primum quod alienigena est ex populo gentili, quæ relicta patria & omnibus quæ illius erant, vadit in terram Israel: & cum prohiberet illam sociis sua pergere secum, perseverabat dicens: *Quocumque perrexeris pergam. Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. Quæ te morientem terra susceperit, in ea moriar. Quæ uxor sine dubio typum in illa fuisse Ecclesiæ manifestat. Sic enim Ecclesiæ ex gentibus ad Dominum convocata, relicta patria sua, quod est idololatria, & omnia universa conversatione terrena: profiteretur Dominum Deum suum esse, in quem Sancti crediderunt, & illuc se iuram, ubi caro Christi post passionem ascendit, & ob eius nomen in hoc seculo pati usque ad mortem, & cum sanctorum populo, patriarchis scilicet, prophetis, consociandam. De quorum societate quod sanctis ex stirpe Abraham venientibus consociaretur, Moses in Cantico ostendit, dicens: *Latanini gentes cum plebe eius. Id est, vos qui ex gentibus estis credituri, cum illis qui primi electi sunt æterna lætitia exultate. Ingressa autem Ruth cum sociis sua in terram Israel, ob merita obsequiorum suorum providetur, ut homini conjungeretur, ex Abraham stirpe venienti, & primum quidem huic quem ipsa propinquum magis esse credebatur: qui negat se posse illi nubere, offertur: & recedente illo per testimonium decem majorum, Booz illi conjungitur, & ab ipsis decem senioribus benedicitur: quia prior ipse ex cognatis confiteretur, se eidem nubere posse. Hoc loco Joannis Baptiste figuram ostendi exultimamus; quia cum ipse Apostolo Christus putaretur, & interrogaretur quis esset: *non negavit, sed confessus est dicens, Christum se non esse. Et perseverantibus his qui miseri erant, & inquirentibus quis esset, respondit: ego sum vox clamantis in deserto. Novissimè etiam confiteretur de Domino ipse dicens: Qui habet sponsam, sponsus est. Se autem amicum sponsi manifestat, cum adiecit: Amicus autem sponsi est qui stat, & audit eum, & lætatur propter vocem sponsi. hunc ergo Christum exultimabant: quia Christum in die visitationis suæ venisse non intelligebant. Est quippe Ecclesiæ sponsus, qui prophetis vocibus est ante promissus, sed licet ille propinquus negavit, & postea Ruth jungitur Booz: ita Christus, qui verè sponsus Ecclesiæ est, quem Prophetarum omnium oracula cecinerant, dignatus est Ecclesiam assumere, & ex omnibus gentibus per totum orbem terrarum Deo Patri innumeros populos offerre. Quod verò excalceat se cognatus ille, veterum consuetudo erat, ut si sponsam sponsus repudiare vellet, discalcearetur ille, & hoc esset signum repudii. Proinde excalceare jubetur, ne ad Ecclesiam quasi sponsus calceatus accederet. hoc enim Christo servabatur, qui verus sponsus erat Decem autem majorum natu benedictio: hoc ostendit in nomine Jesu omnes esse gentes salvandas ac benedicendas. Nota enim apud Græcos decem significat. Quæ pri-***

ma litera nomen Domini Jesu summoperè scribit. Quæ res ut diximus, omnes gentes per ipsum salvandas ac benedicendas esse demonstrat. Nec dubitet ergo quicumque, hæc ut dicta sunt, credere: cum videat universa, & ab initio figuris antecedentibus præcurrisse, & per adventum Domini manifestè adimpleta sic esse, & quæ supersunt, hoc modo perficienda in veritate, consonantibus omnibus & vocibus & figuris sacrarum Scripturarum: quæ adimplevit is qui pollicitus est per filium suum Jesum Christum Dominum, Regem & Salvatorem nostrum, cum quo est illi gloria & honor in secula seculorum. Amen.

*Explanationis in librum Ruth, finis.*

VENERABILIS BEDÆ  
PRESBYTERI, QUÆSTIONVM  
SUPER LIBRUM PRIMUM  
Regum, ex dictis Patrum, Dialogus.

CAPUT I.

DE NATIVITATE SAMVELIS.

**R**OST librum Iudicum sequitur liber Regum. Et aspice tempora. Primum Judicum, postea Regum: sicut erit primum Judicum, deinde regnum. In quibus quippe temporibus, multis & variis modis sacramenta Christi & Ecclesiæ revelantur. Nam ab ipso exordio Regum commutatum sacerdotium in Samuele reprobato Heli: & commutatum regnum in David, reprobato Saule, exclamavit prænunciari novum sacerdotium novumque regnum reprobato veteri quod umbra erat futuri, in Domino Jesu Christo venturum. Nonne ipse David cum panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus in una persona utrumque futurum, id est, in uno Jesu Christo regnum & sacerdotium figuravit? Itaque ipsa Samuelis sacerdotis successio, novum ut prædictum est, & sempiternum sacerdotium præfigurabat, qui est Christus Jesus, Heli sacerdote reprobato, id est, Judaico sacerdotio abjecto. Mater quoque ipsa Samuelis, quæ prius fuit sterilis, & posteriori fecunditate lætata, cuius etiam nomen anna, id est, gratia ejus interpretatur, ipsam religionem Christianam, ipsam postremo Dei gratiam significat: quia nobis Christus oritur, ipsam quoque Ecclesiam, quæ olim sterilis, nunc fecunda in Dei laude lætatur. Quæ nihil aliud in cantico tuo prophetare videtur, nisi mutationem veteris testamenti: vel sacerdotii, in novum testamentum: vel sacerdotium, qui est Christus. Nisi forte quis dicat, nihil annam prophetasse, sed Deum tantummodo propter filium impetratum, exultanti prædicatione laudasse. Quid ergo sibi vult quod ait: *arcum potentum fecit infirmum, & infirmi accincti sunt virtute: pleni panibus minorati sunt, & esurientes exarserunt terram: quia sterilis: peperit septem, & servavit in filiis infirmata est? Nunquid ipsa septem peperit, quamvis sterilis fuerit? Unicum habebat, quando ista dicebat: sed nec postea septem peperit five sex: quibus septimus esset ipse Samuel, sed tres mares, & duas feminas. Deinde in illo populo, cum adhuc nemo regnaret, quid in extremo potuit? Dat virtutem Regibus nostris, & exaltabit cornu Christi sui. Unde hæc dicebat, nisi prophetabat? Dicit ergo Ecclesiæ Christi, civitas regis magni, Gratia: Jena, prole fecunda, dicit quod tanto ante de se prophetatum per hujus pie matris affectum agnoscit, *Confirmatum est cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo salutari meo, &c.* Interea Samuel erat ministrus in templo Dei, accinctus ephod. *Parvulus filii Heli divina sacrificia ne scientes, peccabant coram Domino: & deridebant per eos multi sacrificium dei. Unde & Heli sacerdos pro eorum iniquitate damnatus est, quod eos peccates minus**